



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni  
Bredenbachij S. Th. D.||**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae Agrippinae, 1592**

**VD16 B 7378**

16. De virtutibus viri Dei Hospitij, pœna inuadentium illum, ac miraculosa  
eorundem per S. Hospitium curatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

LIBER III.

quā Longobardi Italiā inuaderent, ipsius sanctissimas reliquias in Gallia sitas, visitare decreuerit: quod iter suum per flumina, mōtes, valles, oppida, pagos, ipse in carminibus suis dilucidè describit. Qui postquā Turonos iuxta votum proprium peruenit, Pictauos pertransiens illic habitauit, & multorum ibidem sanctorum gesta, partim prosa, partim metrica oratione conscripsit. Nouissimeque in eadem ciuitate primū presbyter: deinde Episcopus ordinatus est, atque in eodem loco, digno tumulatus honore quiescit. Hic B. Martini vitam quattuor libris heroico versu contexuit, & multa alia, maximeq; hymnos singularum festiuitatum, & ad diuersos amicos versiculos nulli poetarum secundus, suauis & disertis sermonibus composuit. Ad cuius ego (Paulus diacon.) tumulum, cum illuc orationis gratia aduentassem, epitaphium rogatus ab eiusdem loci Abbate, contexui.

*Paulus diaconus lib. 3. cap. 1. de gestis Longobardorum.  
De uirtutibus uiri Dei Hospitii, pœna inuadentium illum, ac miraculosa eorundem per S. Hospitiū curatio.*

CAP. XVI.

**L**ongobardorum in Gallias aduentum, uiri Dei Hospitii, qui apud Nicœam errat inclusus, sancto sibi id reuelante spiritu longè ante præuidit, & eiusdem urbis ciuibus, quæ mala imminerent, prædixit. Erat enim uir

S 2 ist e



iste magnæ abstinentiæ & probabilis vitæ, qui  
 constrictus ad carnem cathenis ferreis, indu-  
 tus insuper cilicio, pane in cibum cum paucis  
 dactylis utebatur. In diebus autem quadrage-  
 simæ radicibus herbarum Aegyptiarum, qui-  
 bus Eremitæ in Aegypto vsi fuerant, exhibi-  
 tis à negotiatoribus alebatur. Per hunc Domi-  
 nus magnas virtutes operari dignatus est, quæ  
 scriptæ habentur in libris venerabilis viri Gre-  
 gorij Turonens. Episcopi. Igitur vir iste san-  
 ctus aduentum Longobardorum in Gallias  
 hoc modo prædixit. Venient Longobardi in  
 Gallias, & deuastabunt ciuitates septem: eò  
 quòd increuerit malitia eorum in conspectu  
 domini. Est enim omnis populus periuurijs de-  
 ditus, furtis obnoxius, rapinis intentus, homici-  
 dijs promptus, in quibus non iustitiæ fru-  
 ctus, Non decimæ dantur, non pauper alitur,  
 non tegitur nudus, non suscipitur hospitio  
 peregrinus, idèd hæc plaga ventura est super  
 populum istum. Monachis quoq; suis præci-  
 piens, ait: Abscedite & vos à loco isto, auferen-  
 tes vobiscum quæ habetis. Ecce enim gens,  
 quam prædixi appropriat. Dicentibus autem  
 illis, Non relinquemus te factissime pater, ait:  
 Nolite timere pro me. Futurum est enim vt  
 inferant mihi iniurias: sed non nocebunt vl-  
 que ad mortem. Discendentibus autem mona-  
 chis aduenit exercitus Longobardorum. Quo-  
 rum cuncta reperiebant, vastabant, ad locum  
 vi



LIBER IIII.

ubi vir sanctus inclusus erat, peruenerunt. At ille per fenestram à turri se eis ostendit. Illi uero circumeuntes turrim, dum aditum quaerent, per quem ad illum ingredi possent, & minime inuenirent, duo ex eis adscendentes tetrum discooperuerunt illud, & videntes eum cinctum cathenis, indutumque cilicio, dicunt: Hic malefactor est & homicidium fecit, ideo in his ligaminibus uinctus tenetur. Vocatumque in partem, interrogant quid mali fecerat, quod tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omniumque criminum reum. Tunc vnus extracto gladio ut caput eius amputaret, dexteram erigit: sed eius dextera mox in ipso ictu suspensa dirigit, nec eam ad se potuit retrahere: relictus autem gladius, in terram decidit. Quod videntes socij eius, clamorem in celum dederunt, flagitantes à sancto viro, ut quid eis agendum esset, clementer insinuaret. Ipse uero imposito salutis signo aens brachium sanitati restituit. Longobardus autem, qui sanatus fuerat ad fidem Christi conuersus, statim clericus, deinde monachus factus est. Atque in eodem loco usque ad finem vitæ suæ in Dei seruitio permansit. Beatus uero Hospitius dum Longobardis Dei uerbum loqueretur, duo duces, qui cum uenerabiliter audierunt, incolumes patriæ restituti sunt: quidam uero, qui eius uerba despexerant, in ipsa prouincia miserabiliter perierunt.